

# The Electronic Manipulus florum

## www.manipulusflorum.com

### Paupertas r cum fontibus primis

Paupertatis sunt tres species.  
Sunt enim quidam qui rebus  
temporalibus egent sed inuiti, et hec  
uocari egestas solet. Egent enim rebus et  
egent bona uoluntate qua dicitur nichil  
esse potest.

Sunt alii qui rebus abundant, sunt  
tamen pauperes spiritu, et hec est aurea  
paupertas quia licet affluant diuicie,  
corda tamen nolunt apponere.

Tercia est mediocritas  
quam  
philosophi uocant frugalitatem

que  
est paupertas uoluntaria. ←

Hugo de clauistro anime libro I. capitulo  
IX.

Paupertatis sunt tres species.  
Sunt enim quidam qui rebus  
temporalibus egent, sed inviti: et haec  
vocari solet egestas. Egent enim rebus et  
egent bona voluntate, qua ditius nihil  
esse potest.

Nihil enim ditius bona voluntate.  
Sunt et alii qui rebus abundant, sunt  
tamen pauperes spiritu, et haec est aurea  
paupertas, quia licet affluant divitiae,  
corda tamen nolunt apponere.

Haec et illa periculum habent, sapiens  
autem periculum vitat. Sapiens autem  
erat Salomon, qui aliam paupertatem  
desiderabat. Quam? Illam quae daret  
victui necessaria, quae est illa?  
mediocritas (Prov. XXX). Est enim haec  
tertia species, hanc  
vocant philosophi frugalitatem.  
Unde Seneca *In epistola ad Lucium* cum  
laudaret paupertatem voluntariam ait:  
«Frugalitas  
est voluntaria paupertas.»

Hugo de Folieto, *De clauistro animae*  
*libri quatuor*, 1, 9 (PL 176, col.1033B-C).

→

Non potest studium salutare fieri sine  
frugalitatis cura; frugalitas autem  
paupertas voluntaria est.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium*  
*epistulae morales*, 17, 5 (L. Reynolds  
ed., vol.1, p.45, ll.3-4).